



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. De scrutatoribus constituendis in electione, quæ fit per formam  
scrutini, & de modo, quo scrutinium fieri debet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

datione tamen, aut ex antiqua, & præscripta (saltem immemorabili) consuetudine sibi competente administrant Ecclesiam (saltem in temporalibus) & fructus (modicos) vacantis Ecclesie percipiunt.

#### SECTIO IV.

##### *De forma Electionis, sive variis modis eligendi.*

**E**X *c. quia propter 42. h. t.* habetur, quod certæ quædam solemnitates ad electionem requirantur, quarum aliquæ sunt accidentales tantum, quæ omisæ non faciunt irritam electionem, uti sunt Missa de Spiritu S. in die Electionis; Communio eligentium; pulsus campanæ, ante horam electionis ad Capitulum convocandum; invocatio Spiritus S. per illius hymnum recitatum; protestatio ab aliquo totius Capituli nomine facta, contra eos, qui jus suffragij non habent; absolutio ab omnibus censuris, in ordine ad effectum electionis, ab eo facta, qui jus tale absolvendi habet; tractatus in quo plures Capitulo proponuntur, & nominantur digni ad electionem &c. aliæ sunt substantiales, necessariæ ad formam, quæ adhibetur, & sine quibus nulla est electio: potest autem fieri electio, vel per scrutinium, vel per viam compromissi, vel per viam inspirationis: de hac posteriore formâ nulla amplius fit mentio, cum illa fiat sine tractatu præcedente, ex concordia electorum suffragio, in unum consentientium, dictante utique Spiritu S. De alijs duabus formis plura requiruntur, & 1. quidem de forma scrutinijs, quæ plures

partiales actus continet, ipsum scilicet scrutinium, seu secretam suffragiorum collectionem per scrutatores à Capitulo electos factam; scrutinijs deinde publicationem, suffragiorum collationem, & denique decretum Capitularis, seu communis Electionis, ejusque promulgationem.

#### §. I.

*De Scrutatoribus constituendis in Electione, quæ fit per formam scrutinijs, & de modo, quo scrutinium fieri debet.*

**R**esp. Pontifex in relat. *c. quia propter* 1. Electoribus omnibus, qui volunt & possunt electioni adesse collegialiter congregatis, tres à Collegio, fide dignos, assumendos scrutatores; & quamvis etiam pauciores (præsertim ubi Capitulum numerosum non est) & extranei etiam assumi possint, ut advertit etiam *Gloss. V. sanior, & V. vivis*, dummodo extranei non sint Laici, prout etiam in pluribus Ecclesijs Germaniæ usu receptum est; tutius tamen est, ad omnem contradictionem contra electionem præcavendam, ut exactè observetur relati *c. quia propter*, constitutio citra scrutatores ex gremio Capituli assumendos, fidelius ex præsumptione non vanâ suæ Ecclesiæ commodum procuraturos, quam extranei: valebit tamen scrutinium, quod illorum aliqui, quibus jus eligendi competit, inchoant, si nemo præsentium contradicat, quamvis expressè nominati non sint (cum taciturnitas in tali casu favorabili pro consensu habeatur) ita tamen ut Capitulo semper jus remaneat, non tantum hos, sed etiam expressè



expresse constitutos, ex causa, etiam re non amplius integra, revocandi.

*Resp. 2.* Pontifex in relat. c. quia propter. Scrutinium debere fieri secreto, & sigillatim, diligenter, & ordinatè. Secretò quidem, ut singuli Electores viva voce coram scrutatoribus proferant, quem eligunt, & aliquis scrutatorum scribat nomen electi (ita tamen ut secreto huic non obsit, tabellionem etiam, & testes, quamvis Laici sint, ad tollendam omnem fraudis suspicionem adhibere) vel ut in scheda votum suum scribant eligentes, & scriptum, ac clausum deferant, vel dent scrutatoribus. Sigillatim fieri censetur, ut singuli, nemine, qui jus eligendi habet, & electioni huic potest, & vult adesse, prætermisso, taliter secretò exquirantur, ut nullus coëligentium de alterius voto notitiam habeat, quò major scil. in votis dandis sit libertas, si nemini coëligentium constet de alterius voto. Diligenter autem fieri censendum est, si exquirantur etiam electores, ob quæ merita, & quo zelo, hunc præ alio nominent, & quæ sint qualitates nominati, cum in tali electione non sufficiat pura tantum conscientia, sed rationis etiam iudicium. Ordinatè tandem fieri censetur, ut ordo servetur inter scrutandos, ut primum votum primò exquiratur ab eo, qui toti Capitulo præest, deinde à se ipsis mutuo suffragia exquirant scrutatores, si tamen ipsis jus eligendi competit, & denique ab aliis Capitularibus, prout prærogativa, aut recepta consuetudo postulat: quæ etiam attendi debet in exquirendis eorum votis, qui quidem in eadem civitate forassis existunt, ob infirmitatem tamen v. g. loco electionis

interesse non possunt, & per se tamen volunt suffragium suum dare, ita ut horum suffragium missi ex Capitulo scrutatores ab illis requirere, & excipere debeant, ac statim ad Capituli locum redeant: & quamvis scrutinium fieri debeat ita continuato actu, ut nullà alià actione extraneà interrumpi debeat, si tamen multitudo eligentium non patiat, ut eodem die, omnes eligendi facultatem habentes exquirantur, potest illius continuatio in alterum diem differri, cum ut sic moraliter adhuc continuum habeatur tale scrutinium. Vult etiam Pontifex in c. 2. h. t. in 6., ut electorum suffragia sint pura, absoluta, & certa, ita ut alternativa (*eligo Titium vel Cajum*) conditionata (*eligo Cajum, si eum etiam Decanus elegerit*) & incerta vota (*eligo eum, in quem Decanus consentit*) sint absolute nulla, & pro non datis habeantur; non quidem quasi jure eligendi privati essent, qui talia vota dederunt, cum possint, saltem ante publicationem scrutinij, errorem hunc in voto alternativo, conditionato, aut incerto dando commissum emendare, qui ita erraverunt, sed quòd talium votorum, si non corrigantur, nulla ratio sit habenda.

## §. II.

## De Publicatione Scrutinij.

**P**eracto scrutinio, ubi omnium vota collecta fuerunt, & in scriptum redacta, mox, unoque contextu, seu nullo alio actu extraneo interposito, facienda est eorum publicatio (sine quâ nulla esset Electio) coram omnibus, à scrutatoribus, vel ab uno eorum, aliorum nomine, aut quocunque alio à Capitulo vel